

tores eas tantum habeant facultates, quas Rmi Ordinarii ipsis commiserint, quaeque, hac non obstante delegatione, Episcopis integrae manent.

Hoc autem Decretum una cum exemplari supradictae Epistolae « Peculiaribus inspectis circumstantiis » d. d. 10 Decembris 1858, omnibus et singulis Rmis Ordinariis Hispaniae notum fiat et communicetur. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die *U* Maii 1911.

FR. I. C. CARD. VIVES, *Praefectus.*

L. \$ S.

f Donatus Archiep. Ephesinus, *a Secretis.*

S. CONGREGATIO RITUUM

i.

DUBIA.

CIRCA ORGANI SONITUM AD ADIUVANDUM CANTUM GREGORIANUM
ET FORMULAM BENEDICTIONIS APOSTOLICAE IMPERTIENDAE IN FINE CONCIONUM.

A Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum resolutio expostulata est; scilicet:

Quum Caeremoniale Episcoporum numquam supponat, cantum gregoriana organum vocibus consociari ; quaeritur :

I. An hodiernus usus praedictum cantum adiuvandi organis sustineri possit?

II. Et quatenus affirmative ad L, an etiam in Officiis et Missis, in quibus sonus organi prohibetur, liceat organum adhibere solummodo ad associandum et sustinendum cantum, silente organo cum silet cantus?

III. Quibusdam in Brevibus, quibus fit sacerdotibus potestas, in fine concionum, benedictionem, cum Indulgentiae plenariae favore, populo impertiendi, edicitur id fieri debere cum Crucifixo, iuxta ritum formulamque praescriptam ; nunc quaeritur quinam sint hi ritus et formula adhibendi ?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, reque sedulo perpensa, ita respondendum censuit:

Ad I. Affirmative, exceptis tantummodo iis Officiorum ac Missarum partibus, quae, iuxta liturgicas nunc vigentes leges, sine comitantibus organis debeant penitus decantari.

Ad II. Affirmative in casu necessitatis.

Ad III. Unicum signum crucis cum Crucifijo, adhibita formula:
« Benedictio Dei Omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti descendat super vos, et maneat semper ». BJ. Amen.

Atque ita rescripsit. Die 11 Maii 1911.

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. j\$j S.

f Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., *Secretarius.*

IL

DECRETUM SUPER EDITIONIBUS LIBRORUM SACRAM LITURGIAM SPECTANTIUM.

Pluries a Sacra Rituum Congregatione normae traditae sunt Typographus pro editione Librorum Liturgicorum, praesertim per decreta dd. 11 Augusti 1905, 14 Februarii 1906 ac 25 Ianuarii vertentis anni, quod postremum respicit editionem vaticanam eiusque reproductiones super Libris cantum gregorianum continentibus. Quo vero eiusmodi normae latius pleniusque compleantur, Sacra eadem Congregatio, ad praecavendos et impediendos abusus, haec quae sequuntur, accurate discussa et perpensa, statuere voluit, atque servanda decrevit:

I. Editiones Librorum Sacram Liturgiam spectantium, sive Ritus et Preces in Sacris Functionibus peragendis contineant, sive Sacras Caelemonias supradictos Ritus Precesque comitantes praescribant, sive huius Sacrae Congregationis Decreta in unum collecta referant, sunt vel *Typicae*, vel iuxta *Typicas*.

II. Editiones *Typicae* excudere tantum possunt vel Pontifica Typographia Polyglotta Vaticana, vel alii Typographi Pontificii, qui a Sacra Rituum Congregatione veniam obtinuerint.

III. Singula editionis typicae folia revisioni huius Sacrae Rituum Congregationis submittentur, quae seu Commissionis Liturgicae, seu Commissionis de Musica et Cantu Sacro, iuxta opportunitatem, sententiam exquireret.

IV. Quaevis typica editio approbationis referet Decretum, talem editionem esse typicam declarans, simulque omnibus editoribus praescribens, ut predictae editioni typicae futuras editiones omnino conforment.

V. Editores, aliqua editione typica completa, duo exemplaria huic